INTER
EURIPIDIS MEDEAM PHILOCTETAM DICTYN
QUAE
FABULAE UNA TRADUNTUR DATAE ESSE QUAENAM RATIONES INTERCESSERINT
QUAERITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ROSTOCKIENSI

IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS REGEL.

GOTHAE MDCCCLXXV.

TYPIS OFFICINAE DUCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.

PATRI DILECTISSIMO

GUSTAVO REGEL

DIRECTORI

GYMNASII HAMELENSIS.

Postquam Aeschylum in componendis trilogiis id spectasse Welckerus [1]) demonstravit, ut tres fabulas, quas una esset daturus, aut una ejusdem argumenti perpetuitate aut certe una communi sententia conjungeret: etiam inter fabulas Euripideas, quae una datae esse traduntur, quaenam rationes intercessissent, accuratius indagare homines docti studuerunt. Ac potissimum quidem nominandi sunt Hartungus [2]) Schoellius [3]) Welckerus [4]). Qui, quanquam de hac re optime meriti sunt, tamen, cum satis multa in dubio relicta sint, maximeque in eis fabulis, quarum fragmenta tantum exstant, rem non plane expediverunt. Quae cum ita sint, sub judicium vocata quaestione, quaenam rationes intercesserint inter Medeam Philoctetam Dictyn fabulas, mihi successerit fortasse ad tollendam dubitationem paululum afferre.

Qua in re ita versatus sum, ut primum, quale fuerit Philoctetae et Dictyis argumentum, studuerim ostendere, deinde poetae in componendis singulis fabulis illis consilium ac rationem exponere et inde causas colligere, cur potissimum poeta tres illas tragoedias in unam trilogiam comprehenderit.

---

1) Fr. G. Welcker, die aeschyleische Trilogie Prometheus nebst Winken über die Trilogie überhaupt. Darmstadt 1824.

2) J. A. Hartung, Euripides restitutus. Hamburgi 1843.

3) Ad. Schöll, Beiträge zur Kenntniss der tragischen Poesie der Griechen. Bd. 1. Berlin 1839. — Gründlicher Unterricht über die Tetralogie des attischen Theaters etc. Leipzig 1859.

4) Fr. G. Welcker, die griechischen Tragödien in Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet. Bonn 1839.

I. De argumento Philoctetae tragoediae.

In tractando Philoctetae argumento ne longus esse videar, quanquam vereor, tamen, cum hominibus doctis, qui huic rei operam dederunt, in nonullis rebus assentiri nequeam, fieri non potest, quin paulo fusius de hac re agam. Ac si sequimur duces Hyginum (fab. 102) et Dionem Chrysostomum (or. 52 et 59) et servata Philoctetae fragmenta [1]), de argumento haec fere dicenda sunt.

Res geritur in Lemno insula. Ulixes, cui prologum tribuit poeta, „metuo", inquit, „ne temere a sociis famae, qua optimus et sapientissimus esse Graecorum feror, fides habita sit (or. 59). Nam imprudenter ago, qui, cum ad exercitus multitudinem ascripto mihi liceat paribus atque utitur sapientissimus quisque uti commodis (fr. 785) [2]), pro communi salute ac victoria magis laborem quam ceteri (or. 59). Elatus enim et gloriae appetens est homo: nam eximios homines et plus aliis facientes honoramus et in civitate viros existimamus (fr. 786). Ego quoque gloriae cupiditate adducor, ut, cum plurimos labores suscipiam, prae ceteris moleste vivam (or. 59) [3]):

---

1) Nauck, tragicorum Graecorum fragmenta. Lips. 1856, p. 485 sqq.

2) Neque Nauckium putaverim recte monere, inter fr. 785 et 786 ea interponenda esse, quorum sententiam reddat Dio or. 52, 12 (*τούτου δὲ φησὶν αἴτιον εἶναι κτέ.*), neque recte judicare Welckerum (p. 513) Hartungum (p. 348), qui fr. 785 excipere fr. 786 credant. Sed inter fr. 785 et fr. 786 interponenda esse mihi videntur ea, quorum sententiam reddit Dio 52, 12 verbis his: *ὁ δὲ ἑκὼν ἀεὶ ἐν πράγμασι καὶ κινδύνοις γίγνεται,* et or. 59: (*καίτοι ποία τις ἡ τοιαύτη σοφία καὶ φρόνησις*), *δι' ἣν τις ἀναγκάζεται πλείω τῶν ἄλλων ποιεῖν ὑπὲρ τῆς κοινῆς σωτηρίας καὶ νίκης.* Verbis illis: „*τούτου δὲ φησὶν αἴτιον — ὑφίστανται*", Dionem explicare, quomodo cohaereant cum proximis illa „*οὐδὲν γὰρ*" etc. ea res docet, quod ejusmodi verba in Dionis paraphrasi, qua satis accurate et locis nonullis ad verbum argumentum tragoediae Euripideae reddit, omnino non inveniuntur.

3) Fugisse videtur Welckerum et Hartungum, Dionem or. 59 verbis „*ἀεί τινα προσδεχόμενος καινὸν κίνδυνον*" sententiam reddere fragmenti 787, vs. 2: *καὶ τοὺς παρόντας οὐκ ἀπωθοῦμαι πόνους.* Quam ob rem non recte judicat Welckerus (cui assentitur Petersenius, de Philocteta

nam dum metuo, ne gloriam, quam prioribus laboribus adeptus sim, perdam, labores quicunque adsunt non repudio (fr. 787). Nunc igitur rem incertam et difficilem exsecuturus huc in Lemnum profectus sum, ut Philoctetam telaque Herculis sociis adducam. Helenus enim Phrygum vates sine eis Trojam nunquam captum iri vaticinatus est. Rem ut susciperem, reges quidem mihi non persuaserunt [1]), qui memor essem inimicitiarum illius viri, qui morsu viperae gravi atque insanabili vulnere affectus me auctore relictus esset, ut non modo non me ei persuasurum esse sperarem, verum etiam timerem, ne me interficeret. At deinde obediens verbis Minervae, quae ad illum ut adirem in somnis me adhortata atque pollicita est se formam et vocem meam esse mutaturam, ut ignotus illi essem, huc profectus sum. Comperio autem etiam a Phrygibus clam legatos missos esse, qui donis et propter Graecorum inimicitias Philoctetam eo adducerent, ut Trojam se cum telis conferret. Tali certamine proposito nonne me fieri virum usquequaque audacissimum oportet? Nam si haec res mihi non successerit, omnia priora frustra facta erunt [2]). Vae! prodit ipse

---

Euripideo. Erlangae, 1862, p. 4.) his verbis sententiam reddi fragmenti 791: *μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει. ἐν γῇ δ'ὁ φόρτος, καὶ πάλιν ναυτίλλεται.* Praeterea, sitne recta illa Welckeri verborum fragmenti explicatio („so ist der Mensch; kaum ist die Ladung geborgen, so segelt er von neuem aus"), dubito, nec fieri posse mihi videtur, ut certum de his verbis faciamus judicium.

1) Verba Dionis (59, 3) haec „*πρὸς μὲν δὴ τοὺς βασιλέας οὐχ ὡμολόγησα τὴν πρᾶξιν*" Welckerus sic explicat (p. 513): den Atriden habe er die Sache nicht eröffnet; item Petersenius p. 3: „enarrat se clam ducibus hoc munus suscepisse, cum Heleni vaticinatione una haec Trojae expugnandae via monstrata esset, sed non sine Minervae tutela" etc. Non recte, ut videtur, Dionis verba intellexerunt. Nam verbis illis „*πρὸς μὲν δὴ τοὺς βασιλέας*" etc. opposita sunt illa „*ὕστερον δὲ τῆς Ἀθηνᾶς — οὕτω δὴ ἀφῖγμαι θαρρήσας*", ut, quid significetur voce *ὁμολογεῖν* dubium non sit.

2) Concedi non potest Welckero (p. 514) ibi locum habuisse fragmentum 795, cum — id quod supra monui — Dio in paraphrasi sententiam ullius momenti non omisisse videatur.

Philoctetes: morbo affectus aegreque progressus facile cognoscitur. Proh miserabilem horribilemque aspectum! Forma enim morbo terribilis: vestis insueta: ferarum pelles corpus tegunt. At tu, Minerva, fac, ut adjuvans me ostendas te haud frustra salutem mihi pollicitam esse" (or. 59, 1—5)[1].

Jam Ulixem, qui interrogatus, quis sit et cur venerit, se unum ex Argivis esse respondet, statim interficere conatur Philoctetes. At Ulixes facta narratione se pulsum esse ex Argivorum castris ab Ulixe — hunc autem, qui Palamedem proditionis exercitus accusavisset, Palamedis amicorumque perniciem effecisse — precibus adit Philoctetam, ut sibi in patriamredituro auxilio sit (or. 59, 6—10). Philoctetes, quanquam auxilium ferre se cuiquam posse negat, tamen supplicantem invitat, ut domicilium suum quamvis ingratum secum conjunctim habitet (or. 59, 11. fr. 788).

Ceterum fabulae argumentum Welckerus[2]) tale sibi finxit, ut post chori parodum Philocteta novae morbi tentationi succumbente Ulixem arcum rapere putaret, quod quidem primo Philoctetam etiam remissa vi morbi lateret. Postea intrasse putat legatos Trojanos, qui donis magnisque promissis adducerent illum, ut secum Trojam proficisceretur. Qui cum contumelias in Graecos jecissent, quibus hos illi magis invisos redderent, tum Ulixem mentis parum compotem parumque prioris consili memorem prorupisse, se prodidisse, Graecos defendisse. Refu-

1) Inserit hoc loco Hartungus (p. 350) verba Atti (fr. VI., ed. Ribbeck.) haec: „contra est eundum cautim et captandum mihi". Nec vero hoc probari potest, quod neque quidquam ullius momenti omisisse in paraphrasi Dio videtur, neque omnino Atti fragmenta aliquid valent ad restituendum Philoctetam Euripideum. Nam recte docuit Ribbeckius (trag. Latin. reliqq. p. 308), in Philocteta quid ex quoque poeta non assumpserit Attius, facilius discerni posse, quam, quod potissimum secutus sit exemplum, cum aliqua probabilitate effici. Ribbecki sententia confirmatur eis, quae disseruit de hac re Petersenius p. 5.

2) Cui assentitur in hac re Schoellius, Beitr. p. 37 sqq., p. 142, sqq. Gründl. Unterr. p. 60 sqq.

tatis a Philocteta Trojanis Ulixem illi persuasisse, ut Graecis injuriarum illarum venia data suaeque gloriae prospiciens ad Argivorum castra se conferret. — Necesse non esse mihi videtur exponere ea, quae de argumento profert Hartungus (quocum ubique fere consentit Wagnerus in editione fragmentorum Euripideorum Didotiana), cum per totam fabulam in ea re erraverit, quod Atti fragmenta ad restituendam fabulam Euripideam valere aliquid putavit. Nonullis in rebus eisque haud parvi momenti dissentit a Welckero Petersenius. Statuit enim post chori parodum Ulixem Philoctetae arcum rapuisse idque effecisse dolo (de ratione autem doli licere putat certum facere judicium, de qua re infra accuratius disserendum est). Philoctetam deceptum se videntem et a viro omnium maxime inviso tantam in desperationem incidisse, ut fame mori quam in gratiam redire cum Graecis sibique gloriam aeternam parare mallet. Furorem ejus et desperationem morbi accessionem secutam esse. Ulixem abisse atque hic quidem Diomedem nominasse, indicantem scilicet se cum illo rediturum ac vel invitum Philoctetam abducturum. Ibi locum habuisse carmen chori, ad quod pertinere vult verba fragmenti 789 et fr. 798. Post stasimum intrasse Trojanos, antea fortasse ab Actore Lemnio Philoctetae amico adventu nunciato, neque dissimile veri esse Philoctetam expergefactum solum monodia vel cum choro, postea cum Actore miserias conquestum esse. Fortasse etiam Trojanorum adventu augeri mala sua primo eum suspicatum esse. Cum igitur in eo esse videretur, ut aut in Graecorum manus incideret aut in barbarorum, qui omnes ei aeque essent invisi, tum Trojanos non hostes, sed amicos prodisse dona et summum imperium offerentes. Sed Philoctetam, quamvis acerbum Atridarum Ulixis Diomedis osorem, adversus barbaros tamen universi populi rem defendisse. Deinde redisse Ulixem cum Diomede. Illum cum uno ex legatorum Trojanorum numero verbis decertasse, cum Trojanus Graecos imprimisque Ulixem accusavisset, quae-

que in Philoctetam peccassent, enarrasset. Atque Ulixem ea, qua polleret facundia, non amovisse tantum convicia, sed etiam in bene facta convertisse. Philoctetae neutrum persuasisse. Postremo Minervam comparuisse, quae oraculorum fide confirmata Ulixem de communi Graecorum salute optime meritum esse demonstrasset et Philoctetae victoriam praenunciasset. Ita Philoctetae illam persuasisse, ut Trojam cum Graecis sese conferret.

His diversis de argumento sententiis prolatis, quomodo mihi videatur res sese habere, exponam.

1. Ac chorum quidem Lemniorum primo carmine se excusasse, quod antea nihil Philoctetam curasset, auctorem Dionem habemus (or. 52, 6 et 7). Idem (or. 52, 8) Actorem Lemnium nominat Philoctetae amicum, et ita quidem, ut, cum Aechylum minus probabiliter finxisse in Philocteta fabula Lemniorum chorum antea neque ad Philoctetam adisse neque quidquam eum curasse dixerit, de Euripide haec verba faciat: „*αὐτὸς γοῦν ὁ Εὐριπίδης τὸν Ἄκτορα εἰςάγει ἕνα Λημνίων ὡς γνώριμον τῷ Φιλοκτήτᾳ προςιόντα καὶ πολλάκις συμβεβληκότα*“, certe quidem Euripides Actorem introducit i. e. quia Euripides esse veri dissimile intellexit, si Philoctetam fingeret ignotum omnibus Lemniis, introduxit Actorem, qua quidem re certe efficitur, ut aliquanto probabilius finxisse Euripides videatur. Ita si recte intellexi Dionis verba, non dubito, quin illa Euripidis probabilitas, qua antecesserit Aeschylum, etiam in ea re posita fuerit, quod chorum primo carmine fecit narrantem se ab Actore de Philocteta ejusque miseria certiorem esse factum. — Actoris personam non parvi fuisse momenti ea res docet, quod Hyginus, cum nihil nisi res majoris momenti ex argumento fabulae Euripideae afferre videatur, ejus mentionem facit (cf. fab. 102).

2. In tragoedia eam rem, quod prodeunte in scenam legato Trojano certamen verborum oritur, maximi momenti fuisse apparet ex Dionis verbis (or. 52, 13). Qui, postquam Ulixem dixit in prologo verba illa fecisse „*πρεσβείαν*

μέλλειν — Τροίας βασιλεία", pergit, quid poeta legatum Trojanum introducens effecerit, exponere his verbis: „*ποικιλώτερον τὸ δρᾶμα παρασκευάζων καὶ ἀνευρίσκων λόγων ἀφορμάς, καθ᾽ ἃς εἰς τὰ ἐναντία ἐπιχειρῶν εὐπορώτατος καὶ παρ᾽ ὁντινοῦν ἱκανώτατος φαίνεται*". Iam si quaerimus, ad quos certamen illud verborum pertinuerit, praeter Trojanum et Philoctetam etiam Ulixem in numero certantium fuisse ea ex re colligitur, quod et Ulixes primas fere egisse partes videtur et verba illa prologi „*τοιούτου προκειμένου ἄθλου*" etc. ita sunt comparata, ut eis ad hoc statuendum adducamur. Etiam Diomedem, qui partes certe minores agebat (cf. schol. ad Soph. Phil. 1. *παρ᾽ ὅσον ὁ μὲν Εὐριπίδης πάντα τῷ Ὀδυσσεῖ περιτίθησιν, οὗτος δὲ* [Sophocles] *τὸν Νεοπτόλεμον παρεισάγει*), postremo prodisse ex eo efficitur, quod Dio mentionem facit Diomedis, ubi antea de Trojanis et certamine illo dixit [1]). Itaque huc pertinent haec fragmenta:

fr. 792. *ὅρα τόδ᾽ ὡς* etc., quibus verbis Trojanus instat Philoctetae, ut dona Trojaeque imperium accipiat, postquam oblata recusavit (id quod docent verba „*τί δῆτα καί σε κωλύει*") [2]).

adesp. 8. *ὑπέρ γε* etc. quibus verbis Philoctetes refutat Trojanos [3]).

fr. 793. *τί δῆτα θάκοις* etc.[4]) His vere verbis, quae nunc corrupta certe exstant, respondere poterat Philoctetes illis, qui persuadere ei studuerant oraculum illud afferentes, quo Trojam capi non posse nisi Philoctetae ejusque arcus auxilio praedictum esset. Quod oraculum quanquam et Trojani et Graeci afferre poterant, tamen haec

1) Sic judicat etiam Schoellius, Beitr. p. 38.

2) Hanc rem Welckerus et Petersenius neglexerunt.

3) Petersenius hos versus recte tribuit Philoctetae. Welckerus (p. 518) recte quidem attulerat causas, cur essent hi versus Philoctetae Euripidei non Aeschylei. Cum vero erraret in explicandis verbis illis Ciceronianis (d. orat. 3, 35, 141), versus illos Ulixi tribuit.

4) Ubi cum Nauckio legendum est: (vs. 1) *θάκοις μαντικοῖς*, cum Petersenio: (vs. 5) *πείθει*

verba ad Trojanos, qui certe Ulixe priores de hac re cum Philocteta agebant, Philoctetes videtur fecisse. Recte monuit Petersenius (p. 15) in eis, quae praecederent, oraculorum inter se contradicentium vanitatem a Philocteta monstratam esse: debuisse enim ei nova de Trojae excidio edita vaticinatione in mentem revocari antiquum illud, quo, ut sacrificium Chrysae deae offerretur, imperatum esset (cujus oraculi in prologo quoque Philoctetam meminisse Dio testatur, cf. or. 59, 9).

fr. 794. λέξω δ'ἐγώ etc., puibus verbis sine dubio Ulixes, postquam Trojanus Philoctetam injurias ab Argivis imprimisque ab Ulixe illatas monuit, utitur exordio orationis, qua, quae ipse et Argivi fecerint, necessaria et patriae salutaria esse demonstret.

fr. 796. ὥσπερ δὲ etc. Etiam haec Ulixis videntur esse, quibus iratus Philoctetes placetur.

Quae cum ita sint, sic fere res se excipiunt. Trojanus donis imperioque Trojae oblatis commoda Philoctetae oratione ostendit, si se sequatur, contra incommoda, si in Lemno remaneat, crudelitatem Argivorum ei proponit. Philoctetes, postquam quiete eos audivit, respondet, quamvis infestus sit Atridis et Ulixi, tamen nunquam fore ut sua opera barbari de patria victoriam reportent (fortasse huc pertineat fr. 795. πατρὶς etc.). Quapropter se Trojanos non secuturum esse, praesertim cum omnino oraculis diffidat. — Ubi Ulixes dicit illa „λέξω δ'ἐγώ" etc. et „ὥσπερ δὲ θνητόν" etc. res aliquantum progressa: in eo enim est, ut fraudibus detectis Ulixes criminibus se purget, Philoctetae iram verbis leniat.

3. Rapuisse Ulixem Philoctetae arcum narrat Dio or. 52 (σχεδὸν δὲ ἦσαν — ἅμα δὲ εὔκλειαν). Qui raptus certe fieri debebat, priusquam Philoctetes Ulixem agnosceret: nam Philoctetae incognitus inque ejus domicilium acceptus, statim ut rapiendorum telorum consilium caperet, facile adduci poterat. Agnoscit autem Ulixem Philoctetes certamine verborum illo exorto. Itaque haud

multo post prologum, antequam Trojanus prodiret, raptus fieri debebat. — Morbo tentatum esse Philoctetam cum verba fragmenti 790 possunt docere, tum verisimile est Euripidem aeque ac Sophoclem non descripsisse tantum Philoctetam maximis doloribus cruciatum, sed etiam ipsa mala spectatorum ante oculos posuisse. Quae sententia confirmatur etiam fragmento 789. *ἅλις ὦ βιοτά* etc., ex quibus simul efficitur morbi tentationem aut non multo post aut non multo ante telorum raptum evenisse. Nam quid magis consentaneum — id quod recte animadvertit Petersenius — quam chorum illa dixisse, cum raptum morbumque spectaret? Petersenius similes locos affert ex Alcestide vs. 474, ex Hippolyt. vs. 528, ex Med. vs. 637. — Ad idem chori carmen pertinere videtur fr. 798.

Utrum ante morbi accessionem Ulixes arcum surripuerit an post eam, quaerendum est postea. Antea enim in quaestionem vocanda sunt ea, quae de ratione, qua Ulixes furtum illud fecerit, statuere posse Petersenius (p. 9 sqq.) sibi visus est. Cui, ut singulari quodam dolo Ulixem arcu potitum esse putaret, persuaserunt verba Dionis de Philocteta Aeschyleo dicta (or. 52): *καὶ μὴν ἡ ἀπάτη τοῦ Ὀδυσσέως* etc. Ibi Petersenius distingui contendit a Dione ipsum dolum, quo arcum Ulixes caperet, et narrationem, qua Philoctetae sese commendaret. Praeterea cum appareret Dionem cogitare de Philocteta Euripideo, cum diceret de Philocteta Aeschyleo illa „*οἱ λόγοι — εὐσχημονέστεροι*“, idem judicavit illa „*τί γὰρ δεῖ ποικίλης τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς*“ docere in Philocteta Euripideo Ulixem usum esse dolo, quem bene repudiasset Ulixes in Philocteta Aeschyleo. Deinde Petersenius affert locum ex Himeri oratione 14. Ibi Himerius se ipsum cum Philocteta, Hermogenem cum Ulixe comparans haec dicit: ut Ulixes Philoctetae auctor fuit arcu sumpto experiendi, num rursus scopum feriret, ita tu, Hermogenes, mihi auctor fuisti scribendi. Pergit Himerius Ulixem laudibus efferre: *Φιλοκτήτην μὲν οὖν — τὴν αἰτίαν παρ' Ἕλλησι.* Hoc loco Himerium argumentum Philoctetae Euripidei spec-

tasse Petersenius[1]) inde pudavit effici, quod Himerius utatur voce „λωφήσαντος αὐτῷ τοῦ πάθους", quae etiam invenitur in Dionis paraphrasi (or. 59, 11). Atque Himeri verba illa „Φιλοκτήτην μὲν οὖν — σύνθημα" explicans „Philoctetam quidem illum Ulixes ad certamen provocavit praesens artisque symbolum proponens" judicavit Himerium spectasse dolum, quo Ulixes Philoctetae arcum raperet. De Ulixis dolo igitur haec statuit: Ulixem invitatum a Philocteta, ut vitae victusque interim particeps fieret, primum de arcu interrogasse, dubitasse de Philoctetae arte, propriam jactasse, deinde provocasse ad certamen scopo definito itaque arcum in manus ei venisse.

Contra Peterseni sententiam dicendum est Dionis locum non ita intelligendum esse, ut in Philocteta Euripideo Ulixem singularem quendam dolum in rapiendo arcu adhibuisse statuamus. Nam quid cogat explicare vocem „ἀπάτην" „dolum, quo arcum Ulixes capiat", non intelligo, cum sic potius locus ille interpretandus sit. Dio haec dicit: „In Philocteta Aeschyleo dolus et verba, quibus Ulixes Philoctetae se commendaret, non solum magis decora, sed etiam probabiliora erant quam in Philocteta Euripideo". Apparet vero Dionem spectasse illam fraudem, qua Ulixes Philoctetam de se falleret. Quae fraus certe in fabula Euripidea artificiosior (ποικίλη τέχνη καὶ ἐπιβουλή) erat quam in Aeschylea, cum Euripides Ulixis formam a Minerva mutatam esse fingeret, Aeschylus talia bene repudiaret, qui satis probabile videri crederet Ulixem tanto temporis spatio interjecto non agnosci a Philocteta. Deinde apparet verba illa, quibus Ulixes Philoctetam commoveret, ut se benigne acciperet, in fabula Aeschyli magis decora quam in Euripides fabula fuisse. Nam cum in hac Ulixes nec pudore teneretur, quin se ipsum diceret „τὸν κοινὸν τῶν Ἑλλήνων λυμεῶνα" (or. 59, 8), et omnino impudentissime mentiretur, in illa

1) Idem statuerant ante eum Wernsdorfius ad loc. et Welckerus p. 521.

non tanta impudentia mendacia dicebat (qui narraret *τὰς τῶν Ἀχαιῶν συμφοράς* etc.). — Atque Himeri narratio quid valet? Hunc ut judicemus loco allato argumentum Euripidei Philoctetae spectasse, nulla alia re adducimur, quam quod vox „*λωφᾶν*“ invenitur et apud Himerium et in paraphrasi tragoediae. Qua ex re cum mea quidem sententia nihil possit effici, in restituendo argumento Philoctetae Euripidei Himeri locus ille plane omittendus est.

Postquam igitur neque de singulari quodam Ulixis dolo necesse esse cogitare, et multo minus licere de ejusmodi doli ratione facere judicium demonstravimus, utrum ante morbi accessionem Ulixes arcum rapuerit an post eam, quaeri potest. Ac maxime consentaneum videtur cum Welckero statuere Ulixem arcu potitum esse, cum Philoctetes morbo tentaretur. Quam quidem Welckeri sententiam refutare studuit Petersenius. Qui, cum sic non intelligeretur, cur Philoctetes morbo tentaretur, multo probabilius esse putavit Philoctetam rapto arcu ira commotum in morbum incidisse. Nec vero recte judicavit; certe enim Euripides aeque ac Sophocles repente et praeter exspectationem in morbum incidentem Philoctetam fecit, quo rectius natura morbi magnaque illius miseria cognosceretur.

4. De tragoediae exitu assentiendum esse videtur Welckero, qui non comparuisse Minervam statuit [1]). Quae sententia comprobatur maxime illis Hygini verbis (fab. 102) „sed cum Achivi ex vulnere tetrum odorem — sustulerunt“. Nam ibi Hyginum argumentum fabulae Euripideae sequi inde colligitur, quod non solum Ulixem et Diomedem in Lemnum missos, sed etiam Philectetam nutritum esse a Lemnio quodam narrat (in cujus quidem nomine afferendo errat, nisi forte vitiosa codicum lectio exstat). Quod Petersenius p. 15 de fide Hygini dubitandum esse demonstrare studet (his usus verbis: „gravissi-

---

1) Comparuisse Minervam statuunt Schoellius (Beitr. p. 149) Hartungus (p. 364) Petersenius (p. 15).

mum errorem de Agamemnone expeditionis auctore coarguit Dio 95, 3, ubi Ulixes dicit „πρὸς μὲν δὴ τοὺς βασιλέας οὐχ ὡμολόγησα τὴν πρᾶξιν“), eum aeque ac Welckerum (p. 513 et p. 520) non recte intellexisse Dionis verba supra exposui. Itaque, cum et Hyginum argumentum Euripideum esse secutum pro certo habendum nec dubia ejus fides sit, credendum est Hygino, qui Ulixem et Diomedem persuasisse tradit Philoctetae, ut in gratiam rediret.

Welckerus, cum Himerium loco allato spectasse fabulae exitum putaret, sic judicavit: postremo Ulixem ad se perduxisse et adhortatum esse Philoctetam ad experiendum, num rursus scopum feriret. Nec vero intelligitur, cur in exitu fabulae tale artis suae specimen Philoctetes dederit, et Himeri ille locus quid auctoritatis habeat, demonstravimus.

Praeterea non est negligendum apparentis dei Dionem mentionem non facere. Nam Dio, cum se putaret quodammodo esse Athenis, ubi tres illae Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulae darentur, sibique ipsi rationem redderet, quale singulae haberent argumentum (cf. or. 52. οὐκοῦν ἐχορήγουν etc.), certe debebat sibi proponere ac sub judicium vocare, quaecunque in singulis fabulis maximi esse momenti viderentur. Quodsi Dio, ubi de Aeschyli Euripidisque fabulis disserit, de exitu nihil dicit, satis egisse de hac re sibi visus est verbis hisce: „σχεδὸν δέ ἦσαν ἄκρων — εὔκλειαν“. E quibus nihil aliud effici potest quam Ulixem verbis ad se perduxisse Philoctetam in fabulis Aeschyli et Euripidis.

5. Quae si recte disputata sunt, tunc de ordine, quo in universa fabula res se excipiebant, haec fere dicenda sunt. Postquam Lemniorum chorus prodiit, quem audiendi cupidum fortasse fama adduxit, quae virum quendam peregrinum ad Philoctetam adisse nunciaverat — ut in Phoenissis (cf. vss. 196 sqq.) veniunt ad arcem regis Phoenissae audiendi cupidae, in Alcestide (cf. vss. 77 sqq.) prodeunt Pheraei fama reginam mortuam esse perlata —,

Philoctetae morbo tentato arcus ab Ulixe rapitur. Raptum primo non animadvertere Philoctetam Welckerus judicat. Nec vero, cur sic statuendum sit, causam intelligo multoque magis mihi videtur verisimile Philoctetam primo illud non cognovisse, Ulixem esse, qui arcum rapuisset, ut potius se putaret privatum esse ab aliquo homine scelesto et ingrato. Arcu rapto abit Ulixes, ut et arcum in tutum transferat et Diomedem arcessat, quocum Philoctetam Trojam abducat. Qua in re, si opus sit, vi est grassaturus. Philoctetam, qui e morbo recreatus animadverso raptu summa animi concitatione movetur, chorus commiseratur. Deinde certior factus de adventu Trojanorum (fortasse ab Actore amico) Philoctetes se in summa putat versari miseria, cui orbo omni praesidio barbarorum vis immineat. Legato Trojano se ostendente amicum et dona offerente, si Trojam se sequatur, Philoctetes quamvis miser barbarorum amicitiam repudiat. Postremo, postquam agnovit Ulixem, quamvis iratus primo illi et Graecis, irritanteque iracundiam Trojano, Ulixem sequi non dubitat, ubi de patriae salute agi audivit.

II. De argumento Dictyis tragoediae.

De Dictyis argumento recte ut judicemus, mea sententia veterem illam narrationem sequi nos oportet ducem, quam de Dictye habet Apollodorus 2, 4, 1: *προσενεχθείσης δὲ τῆς λάρνακος* (qua Danae exposita erat) *Σερίφῳ Δίκτυς ἄρας ἀνέτρεφε τοῦτον* (Perseum). *βασιλεύων δὲ τῆς Σερίφου Πολυδέκτης ἀδελφὸς Δίκτυος Δανάης ἐρασθεὶς καὶ ἠνδρωμένου Περσέως μὴ δυνάμενος αὐτῇ συνελθεῖν* — (Perseo) *ἐπέταξε τῆς Γοργόνος κομίζειν τὴν κεφαλήν.* ibid. § 3. *παραγενόμενος δὲ εἰς Σέριφον* (sc. *ὁ Περσεύς*) *καὶ καταλαβὼν προσπεφυγυῖαν τοῖς βωμοῖς μετὰ τοῦ Δίκτυος τὴν μητέρα διὰ τὴν Πολυδέκτου βίαν εἰςελθὼν εἰς τὸν βασιλέα — ἀπεστραμμένος τὴν κεφαλὴν Γοργόνος ἔδειξε, τῶν δὲ ἰδόντων ὁποῖον ἕκαστος ἔτυχε σχῆμα*

ἔχων ἀπελιθώθη. 1, 1: *καταστήσας δὲ τῆς Σεφίφου Δίκτυν βασιλέα ἀπέδωκε τὰ μὲν πέδιλα καὶ κίβισιν* etc.

Nam etsi in universum satis verisimile videatur argumentum tragoediae Euripideae a narratione illa discrepuisse, tamen neque ex servatis fragmentis discrepantia ista colligi potest (cf. ea, quae infra de singulis fragmentis exposui) et adducimur alia re, ut certe in summa fabulae Euripidem Apollodori narrationem secutum esse statuamus. At de hac re infra accuratius erit agendum.

III. De poetae in componendis singulis illis tragoediis consilio ac ratione.

1. De Medea.

Primum si quaerimus, quaenam in fingenda Medeae persona poeta spectaverit, facere non possum, ut Schoellio [1]) assentiar voluisse poetam ostendere, quantis iris patriae proditorem caelestes persequerentur, simul fortunam et jus mulieris peregrinae proponere, quae ipsa jure peregrinorum neglecto peccasset. Quam Schoelli sententiam probari non posse apparet, si, quomodo in universum in tragoedia res se excipiant, inquirimus et locos a Schoellio allatos recte intelligimus. Argumentum Medeae autem in universum hoc est.

Medea insano Jasonis amore incensa, ut nuptiis ei jungeretur, patriam prodiderat, fratrem interfecerat, Jasonis causa Peliam crudelissime interemerat. Ita atrocissimis sceleribus commissis ipsa, cum Jason filiam Creontis Corinthiorum tyranni in matrimonium duxisset, summa miseria afflicta erat, ut ei peregre habitanti et ab Jasone proditae aeque ac liberis exsilium immineret. Sic res se habere accipimus ex prologo nutricis et ex sermone nutricis cum paedagogo collato. Neque vero Medea ea est mulier, quae injurias sibi illatas aequo animo ferat:

1) Beiträge p. 141 sqq. Gründl. Unterr. etc. p. 59 sqq.

sed postquam lamentans primo irataque (vss. 96 [1]) et 97) se ipsam totamque familiam exsecrata est (vss. 111—14, vss. 144—47, vss. 160—67), deinde mente revocata de fortuna sua cogitavit (vss. 214—66), ulcisci maritum Creontem ejusque filiam constitutum ei est (vss. 261 et 62). Nam, inquit, mulier natura timida tum fit caedis cupida, ubi matrimonium incommodo afficitur (vss. 263—66). — A versu 214 (ubi Medea prodit in scenam) in duas partes argumentum fabulae distribuere possumus, quarum altera vss. 214—865 continet, altera vss. 865—1419. Priore parte Medea de ea re cogitat, quomodo facinus propositum exsequatur, contra Creon et Jason augentes ejus iram efficiunt, ut ad crudeliorem, quam initio voluerit, ulciscendi rationem Medea adducatur. Nam postquam Creon eam finibus regni excedere jussit (vss. 271—76), deinde vero precanti concessit, ut unum Corinthi diem commoraretur (vss 350 sqq.), Medeae magis stabilito ulciscendi consilio decretum est eo ipso die de medio tollere Creontem Glaucen Jasonem (vss. 374—75), ac solum de ratione tollendi est dubia, utrum flamma ferroque an veneno neces paret (vss. 376—85). Veneno uti ei videtur satius esse. Sed cum provideat fore, ut hostibus interfectis in discrimen data sit vita ejus, quae sine ullo praesidio tantum facinus patrarit, exspectare decernit, sicubi asylo sibi apparente ipsa impunita poenas expetat ab inimicis. Non apparente asylo, quanquam ipsa mortem subibit, tamen ferro hostes vult caedere (vss. 386—99). Quibus consiliis captis similiter ac supra (vss. 263—66) verba facit ad chorum (vss. 406—8). Deinde Jasone sophistica quadam ratione et de beneficiis a Medea acceptis disserente (vss. 526—33) et ea, quae ipse fecit, optime facta esse demonstrante (vss. 533—75) magis ad iram Medea irritatur. Aegeo se Medeam Athenis recepturum ac defensurum pollicente eo perventum est, ut jam Medea et certum definitumque consilium ulcis-

1) edit. Kirchhoffiana.

cendi capere, et abjecta omni cunctatione ad exsequenda consilia progredi possit. Vult autem missis vestimentis venenatis, quae liberi exsilium deprecantes dona ferant filiae tyranni, Glauces et Creontis efficere neces (vss. 772—89); vult gravissimas poenas expetere ab Jasone, cui tollendo Glaucen interficiendo suos ipsius liberos et uxorem est ademptura et prolem exstinctura et spem prolis abscisura (vss. 790—810). Iratam atque de caede liberorum cogitantem frustra chorus monet, ne tantum scelus committat (vss. 833 sqq.). Haec est ea fabulae pars, quam Aristoteles (poet. 18) „δέσιν" nominat, incipit jam illa, quam dicit „λύσιν". Altera fabulae parte Medea facit ea, quibus expleat iram (vss. 866—1419). Jasonem arcessitum orat, ut ignoscat sibi, quod antea ei male dixerit (vss. 869—71): antea temere iratam se jam intelligere eum, qui Glaucen in matrimonium duxisset, prudenter egisse (vss. 882—93). Liberos, benigne ut accipiant patrem parentibus in pristinam concordiam reductis, hortatur (vss. 894 sqq.). Verbis deceptum precatur, ut Creonti persuadeat, ne liberos ex urbe expellat (vss. 939 et 40). Quod num tyranno persuadeat, dubitantem rogat, ut etiam Glaucen ad idem a patre petendum adducat. Quod quidem annuit Jason (vss. 941—45). Tali fraude postquam Jasonem fefellit, liberis dat venenata vestimenta, quae dona ferant regis filiae et quibus — eam confingit causam — eo magis ejus voluntas sibi concilietur (vss. 946—975). Ad Glaucen deinde Jason cum liberis se confert. — Ita initio ulciscendi facto non statim Medea etiam liberos interficere conatur. Sed ubi paedagogo cum liberis ex Glauces aedibus redeunte in eo est, ut materna manu caesi liberi mortem subeant, tum in Medea amor liberorum quodammodo emergit. Quae tristis paedagogo dimisso ambiguis verbis utitur, ubi liberos est dimissura (vss. 1021—39). Secum ipsa locuta dubitat, utrum interficiat parvulos necne. Atque jam eorum aspectu tacta caedis consilio abjecto liberos secum Athenas esse ductura videtur, quippe quae cogitet

de innocentia liberorum et de magna sua maestitia, quam sibi ipsi sit illatura (vss. 1040—48). Jam ulciscendi cupiditate victa liberos in aedes esse missura videtur, ut ibi facinus exsequatur (1049—55). Iterum autem secum considerans nihil obstare, quominus felix cum liberis Athenis agat vitam (vss. 1056—58), videtur dubia, dum postremo in ulciscendi consilio perseverat sibique ipsi fingens causam, cur caedem perpetrare coacta sit, facit verba illa „*μὰ τοὺς — σάφ' οἶδ' ἐγώ*“ (vss. 1059—66). Itaque liberis in aedes dimissis Medea, antequam scelus perpetret, exspectat, dum quae voluisset venenatis vestimentis effecta esse sibi nuncientur. Quo nuncio accepto abit hisce ultimis usa verbis (vss. 1249 et 50): *καὶ γὰρ εἰ κτενεῖς σφ' ὅμως φίλοι τ' ἔφυσαν, δυςτυχὴς δ' ἐγὼ γυνή.* Facta est in aedibus caedes, qua prohibere iratam chorus ausus non est, ubi Jason inscius liberorum fortunae prodit in scenam, qui poenas expetiturus est a Medea ob Glaucen interemptam et servaturus liberis vitam, quibus a tyranni propinquis immineat periculum (vss. 1292—1305). Cum de novo Medeae scelere certior factus aedium fores effringi jubeat, ut ad caedis auctorem et ad corpora interfectorum perveniat, apparet Medea sublimis in curru, cui dracones sunt juncti et eum accepit a Sole patre ad fugam efficiendam. Jasoni vehementissime exprobranti scelera commissa ei et ad verborum contumeliam descendenti respondet illa causamque dicit, cur liberos interfecerit: ne se ipsa exsule atque in miseria vivente Jason tyrannique filia felices essent; jam vero ira expleta ejus maledicta se contemnere (vss. 1351—60). Cum petat ab ea Jason, ut corpora mortuorum ad sepeliendum sibi relinquat, hoc ei abnuit. Deinde Jasonis, qui reliquiis Argus ictus mortem obiturus sit, fortuna praedicta iterumque precibus ejus, ne corpora liberorum asportet, rejectis Medea sublimis aufertur.

Ostendit igitur primum poeta miseram Medeam, quae, postquam amore Jasonis capta patriam prodidit aliaque scelera commisit, in peregrina terra ipsa a marito

prodita est. In media fabula videmus mulierem iratam et ulciscendi cupidam, cui a marito eoque ingratissimo maximae injuriae sint illatae cujusque ira nova calamitate et injuriarum auctoris impudentia augeatur. Postremo videmus Medeam, ut expleat iras, atrocissima facinora perpetrantem, quibus ulciscatur illa quidem Jasonem, simul autem se ipsam infelicissimam reddat.

Illud vero, „deorum iris factum esse, ut novam in se culpam Medea admitteret, quod antea prodita patria peccasset," poetae animum non subiit nisi duobus locis, vs. 1333 et vs. 1260; cf. etiam Wecklein. Med. p. 22.

Fortunam et jus mulieris peregrinae praecipue proponere voluisse poetam Schoellius colligi posse putat ex vss. 34 et 35, vss. 166 et 167, vs. 328, vss. 431 sqq., vss. 506—8, vss. 643 sqq. Sed omnibus his locis, quanta esset miseria Medeae in terra peregrina agentis vitam, poetam ostendere voluisse apparet. Nam vss. 23, 165 inveniuntur in prima fabula, qua potissimum misera Medea poetae erat describenda; vss. 323, 431, 506 – 8, 643 ad eam fabulae partem pertinent, qua miseria aucta ostendenda erat. Quod Schoellius attulit ad sententiam suam comprobandam vss. 591 et 92 (quibus haec subjecit: „für den wahren Grund seines Treubruchs erkennt sie, dass er sich ihrer als der Ausländerin geschämt habe"), dicendum est eam, quam putat, sententiam in verbis Euripideis non inesse. Hoc loco enim Medea haec fere dicit: tu (Jason) dixisti te aliam in matrimonium duxisse, quia tibi vitam mecum uxore paupere agenti vita fuisset *οὐκ εὔδοξος* (cf. vss. 560 sqq.); neque vero solum, quod pauper essem, tibi vivere mecum uxore *οὐκ εὔδοξον* visum est, sed vel maxime, quod barbara mulier et aetate provecta (*πρὸς γῆρας*) essem. — Schoellius cum afferret vss. 603 et 4 (quibus haec addidit: „für den wahren Grund seines Treubruchs erkennt sie, dass er ihrer als der Ausländerin sich geschämt habe und Schonung gegen sie, die Hülflose, ihm durch keine Furcht geboten sei"), non recte intellexisse videtur, quomodo hi versus cum proximis

cohaererent. Jasoni enim, qui, ut est maxima animi levitate, Medeae rebus adversis afflictae suasit illa „τὰ χρηστὰ — δόκει“ (vss. 601 et 2), Medea respondet „ὕβριζε etc. i. e. tibi licet verbis lascivire animoque levi esse, cui omnia bene se habeant, sed ego rebus adversis afflicta aliter sentio“. — Schoellius poetam fecisse Medeam eam contendit, quae jure peregrinorum neglecto peccasset: peregrino illam Jasoni patriam prodidisse, in hospitali Peliae domo scelus illud commisisse. Ac recte quidem. Sed negligit vir doctus illa Medeae facinora minus pertinere ad ipsius fabulae argumentum quam ad eam partem δέσεως, quam Aristoteles (poet. 18) τὰ ἔξωθεν τῆς τραγῳδίας nominat; certeque in ipsa tragoedia Medeam peregrinam in hospites peccare non videmus. Nam nemini, opinor, Schoellius persuaserit haec dicens: „so konnte sie sich auch hier (in Corinth) der Nothwendigkeit nicht fügen, womit Fremde, wie sie doch selbst vs. 222 sagt, tragen müssen, was die Stadt, in der sie weilt, gebeut; durch die Aeusserung ihrer zwar natürlichen Empörung veranlasste sie den König der Stadt, sie zu verstossen“. Explicat non recte vs. 222. Medea hoc loco disserit de morum comitate, qua et peregrinos uti par sit in cives et cives uti inter se, deinde causam dicit, cur ex aedibus ad chorum exierit (vss. 214 et 15). Omnino non intelligo, quid sibi velit Schoellius verbis „was die Stadt gebeut“, cum in fabula minime ab urbe Medeae aliquid imperetur, sed a Creonte urbis tyranno injuriae inferantur, propter quas eam irasci secundum naturam humanam est. Unde apparet Schoellium neque crimini dare posse Medeae, quod irascatur, et multo minus posse statuere ea re Medeam peregrinam in hospites peccasse.

Deinde de ceteris fabulae personis si quaerimus, Schoellius putavit etiam Creontem filiam Creontis Jasonem a poeta propositos esse eos, qui, cum jure peregrinorum neglecto impie nefarieque egissent, poenas persolverent: Aegeum, qui se Athenis mulierem peregrinam recepturum ac defensurum polliceretur, quasi hospitii

exemplar propositum esse. A Creonte enim Medeam in reipublicae clientela viventem ex urbe pulsam esse, a Creonte antea majus scelus factum esse, cum Jasoni filiam in matrimonium daret. Sic autem probat sententiam suam: „denn dieser Fremde konnte weder schuldlos die neue Verbindung eingehen, noch seine meineidige Auflösung der ersten, sein schreiender Undank ihn für irgend einen Treubund empfehlen“. Refutanda est Schoelli sententia. Nam solum hoc crimini dari potest Creonti (similia autem dicenda sunt de culpa filiae tyranni), quod Jasoni viro ingrato et perjuro filia collocata quasi fautorem et adjutorem injuriarum ab Jasone factarum sese exhibuerit. Hac in re postquam peccavit, Medeam in exsilium mittere coactus est rerum necessitate, et non mittit clientem, sed mulierem infestam atque insidiosam, quae tyranni familiae vehementissime minitata sit (vss. 282 sqq.).

Atque in Medeam peregrinam poetam fecisse Jasonem se perjurum ingratumque exhibentem quis Schoellio assentiatur? Nam Jasoni, qui in matrimonium duxit peregrinam, deinde vero uxorem prodidit, non quod in peregrinam, sed quod in uxorem, quae non jam ei erat peregrina, peccaverit, crimini vertendum est. Simul similiter ac de Medea etiam de Jasone poetam subit illud, deos iratos effecisse, ut novam ille hanc culpam in se admitteret, qui antea nefarie egisset, cum Medeam, quae patriam prodidisset fratremque interfecisset, in matrimonium duceret. Quod quidem intelligimus ex verbis Jasonis, vss. 1329—38. – Aegeum recte quidem monuit Schoellius a poeta talem fictum esse, qui adiens oraculum de rebus domesticis curaret (vs. 679), qui se exhiberet virum summae comitatis in sermone cum muliere peregrina collato (vs. 689), qui suum esse duceret adjuvare mulierem peregrinam (vs. 720), qui in recipiendo mulierem peregrinam caute circumspecteque ageret (vss. 723 sqq.). Etiam concedendum est unum Aegeum vacare culpa, ceteris fere omnibus, qui aliquas partes in fabula

agunt, sceleste agentibus. Nec vero eum quasi exemplar hospitii propositum esse et ex eis intelligitur, quae de Medea Creonte Jasone disputavimus, et omnino Aegei persona haud magni momenti est. Fortuito enim Aegeus Delphis profectus ac Troezena petens Corinthi Medeae fit obviam, obviam factus abit. Prodeunte vero illo in scenam nihil aliud efficitur, quam ut Medea ea ratione, qua postea videmus, facinus illud possit exsequi. Quae cum ita sint, poeta, cum Aegeum virum probum effingeret, id potius mihi videtur spectasse, ut Atheniensibus Atheniensem quam maxime commendaret.

His de quaestione disputatis, quo consilio et ratione poeta in fingendis fabulae personis usus sit, duae praecipue res sunt, de quibus dubitari possit. G. Hermannus [1]) enim suspicatus est poetam in prima cujusque trilogiae tragoedia maxime animis spectatorum prospexisse, quam Hermanni sententiam Medeae argumento non probari Schoellius [2]) contendit. Quae est altera res, de qua nobis disserendum est. Altera quaestio hoc loco exsistit, num revera poeta in Medea tragoedia res publicas ea ratione respexerit, qua Hartungo [3]) visum est, eidemque num assentiendum sit voluisse poetam Graecorum humanitatem et praestantiam, qua barbaris excellerent, ostendere.

De Hermanni et Schoelli sententiis quid sit statuendum, facillime, opinor, cognoscemus, si explicaverimus, quibus rebus potissimum in tragoedia animi mentisque motus excitari potuerint. Atque hoc fieri potuit primum eo, ut vel magnificae et in universum dictae sententiae ad ea, quae in fabula agerentur, accommodatae verbis proferrentur, vel ejusmodi cogitationes fabulae argumento essent subjectae: deinde eo, ut sententiae novae et inauditae et difficiliores intellectu (ambigue dictae) proferrentur: denique eo, ut in diverbiis dialectica quaedam ars adhiberetur. Haec fere mihi videntur esse, quibus

1) de compositione tetralogiarum tragicarum dissertatio. Lipsiae. 1819.
2) Beiträge etc. p. 36.
3) l. all. p. 330.

maxime, ut spectatores animos attendant, in tragoedia efficiatur. Nam quanquam varia quaedam argumenti implicatio, qua, qualis futurus sit exitus cogitare cogamur, non plane repugnat naturae tragoediae (Arist. poet. 18 dicit implicatam tragoediam, in qua inest *περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις*), tamen tragoediae magis est movere spectatorum metum et misericordiam (Arist. *τὸ φοβερὸν καὶ τὸ ἐλεεινόν*). Quae si recte disputavi, fieri non potest, quin refutem Schoelli sententiam, quam protulit his usus verbis: „Medea, ein in der Handlung kunstloses Drama konnte schwerlich mehr den Geist beschäftigen als der Philoktet". Nam et tragoediae non esse implicatione argumenti animos attentos reddere jam dictum est, et de hac re in universum judicare minime licet. Accuratius quam fecit Schoellius tota fabula perquirenda est.

Atque etsi negari non potest Medeam tragoediam simplicem et non implicatam esse (id spectasse videtur Schoellius, cum diceret: „ein in der Handlung kunstloses Drama"), tamen ea, quae in fabula aguntur, ita comparata sunt, ut ad varias cogitationes animi spectatorum adduci potuerint. Ita Medea liberos interficiente illud succurrit, homines cupiditatibus obedientes infelices sese reddere: Jasone et Creonte poenas persolventibus illa venit cogitatio, felicitatem, quam injuriis adepti simus aliis illatis, facile exstingui per eos, in quos peccaverimus etc. — Deinde si lyrica carminaque chori inspicimus, versus, qui ad comprobandam Hermanni sententiam possint afferri, hosce invenimus: vss. 119—30, vss. 190—203, vss. 410—30, vss. 627—41, vss. 824—65, vss. 1081—1115, vss. 1282—92. Praeterea afferendi sunt hi loci: vss. 85—88, vss. 215—24, vss. 230—51, vss. 263—66, vss. 294—301, vss. 406—8, vss. 446—47, vss. 469—72, vss. 516—19, vss. 520—21, vss. 569—75, vss. 580—83, vss. 964—65, vs. 1018, vss. 1078—80, vss. 1224—30, — vss. 899—902, vs. 925, vss. 1013—16, vss. 1021—39 (quibus quattuor locis ambigue dicta inveniuntur). —

vss. 446—64, vss. 522—68 (quibus duobus locis poeta dialectica quadam arte disserentem Jasonem facit). — Jam si numero comprehendimus illos versus, ita res se habet, ut ejusmodi versus in lyricis carminibusque chori (quae 306 versibus continentur) 130 inveniantur, in reliqua fabula (quae continetur 1113 versibus) 177. Statuendum est igitur in Medea fabula certe ejusmodi versus inveniri plures quam in plerisque ceteris fabulis Euripideis, quae nobis servatae sunt. Statuendum est quoque in Iphigenia Aulidensi prima illa trilogiae fabula multo plures ejusmodi versus inesse quam in Bacchis tertia ejusdem trilogiae fabula [1]). Itaque satis verisimile videtur poetam et in Iphigenia Aulidensi et in Medea singulari quodam modo animis spectatorum voluisse prospicere.

Hartungus in Medea Philocteta Dictye poetam multis locis res publicas respexisse judicat. Ac certe recte statuit cum Vatero (in Rhesi vindiciis p. 165) illud Aegei et Medeae pactum (vss. 719—30) simillimum esse illi Atheniensium et Corcyraeorum foederi, vix ut dubitari possit, quin hoc loco Euripides de hac re cogitarit. Sed magis dubium est, quid de chori carmine, quod continetur vss. 824—850, judicandum sit. Ibi primum paucis dicendum est de difficultate quadam critica, quae in vss. 847 et 48 oritur. Verba, quae in codicibus exstant, „φίλων πόμπιμος χώρα“ nullo modo ferri possunt.

---

1) Si eos versus secernimus, de quibus similiter ac de 307 versibus illis Medeae judicare licet, hae rationes inter numeros versuum intercedunt:

	numerus versuum, quibus universa fabula continetur.	numerus versuum, qui pertinent ad diverbia.	numerus versuum, quibus lyrica continentur.	numerus versuum, de quibus agitur a) in diverbiis	b) in lyricis
Medea	1419	1113	306	177	130
				307	
Iph. Aul.	1629	1236	393	78	74
				152	
Bacch.	1392	1042	350	18	29
				47	

Nam in vss. 846 sqq. in universum hic est verborum chori sensus: urbs et terra, qualem descripsi Athenas, urbs illa et terra summae amoenitatis et sapientiae et artium ingenuarum non bene te *παιδολέτειραν* accipiet. Exspectamus vero, postquam voce „*ἱερῶν ποταμῶν*“ (vs. 846), qui *ποταμοί* pertinent ad loci sacri amoenitatem, urbs circumscripta est, circumscribi etiam terram aliqua re, quae ad loci sacri amoenitatem pertineat et ita quidem, ut ad vocem „*χώρα*“ adjectus sit genitivus oppositus voci „*ἱερῶν ποταμῶν*“. Nunc quae in codicibus exstant „*χώρα πόμπιμος φίλων*“ nec per se satis apte de Athenis dicta esse et multo minus quadrare ad totius loci sensum apparet; recteque Weckleinus (ed. Med., Anh. p. 139) suspicatus est inesse in his verbis corruptelam. Mutavit ille vocem „*φίλων*“ in „*φυτῶν*“, voce „*φυτῶν πόμπιμος*“ significari vult: „quae mittit i. e. germinat plantas“, ad quam verbi significationem probandam affert verba illa Sophoclea „*ὅσα πέμπει αἶα*“. Ac profecto satis probabilis Weckleini loci explicatio esset, si et vocem „*πόμπιμος*“ tali significatione usurpari similibus locis allatis demonstrasset, neque vox „*φυτῶν*“ nimis in universum dicta esset, cum opposita sit voci „*ἱερῶν ποταμῶν*“. Quae cum ita sint, aliam inesse eamque veterem corruptelam hoc in loco suspicor. — Hartungus, qui legi vult „*πῶς οὖν ἱερῶν ποταμῶν πόμπιμός σε χώρα ἢ πόλις ἁ φίλων καὶ παιδολέτειραν ἕξει*“, subjicit haec verba: „amicorum civitatem Athenienses a feminis Corinthiorum appellari manifestum esse mihi videtur: ineptus enim redit sensus, si *πόμπιμος* ad *φίλων* referatur sic, ut terra significetur amicorum prosecutrix. Dolet igitur poeta, quod Atheniensium Corinthiorumque amicitia disrupta sit, utque denuo jungatur monet. Idem, egregias Athenarum laudes a Corinthiis ipsis praedicari faciens, nonne hos dehortari videtur, ne bello lacessant populum Musarum artibus excellentem, neve infestis armis invadant terram nulla unquam hostium invasione vastatam? Artium liberalium eruditionis sapientiaeque studium Athenis florens quasi dedita opera laudare

Euripides videtur eo tempore, quo timendum erat, ne illud studium interpellaretur imminuereturque erumpente bello, quod atrocissimum diuturnissimumque fore omnes praevidebant".

Quanquam — id quod ostendimus — lectio Hartungi probari non potest, tamen ex ea re, quod mulieres Corinthiae Athenis tam copiose descriptis interrogantes „πῶς — ἕξει" quasi contra naturam fieri dicunt, si sacra illa urbs παιδολέτειραν accipiat, facere conjecturam fortasse liceat, Euripidem haec verba choro tribuentem res publicas spectasse. Nam Medea fabula data est eo tempore, quo Athenienses adjuverant Corcyraeos bellum gerentes cum Corinthiis. Corcyraeorum urbs autem, cum Epidamno coloniae suae auxilium contra barbaros petitum abnuisset, quasi παιδολέτειραν se exhibuerat. Quam urbem παιδολέτειραν cum sibi junxissent, Athenienses bello Corinthio erant implicati. Itaque mihi videtur poeta chorum mulierum Corinthiarum dicentem facere ea, quae tum Corinthii Atheniensibus crimini dabant, quod cum Corcyra urbe illa inter Graecos invisa adque discordias prompta foedus illud inissent, sibi petentibus ab Atheniensibus, ut neutri parti essent auxilio, non essent morigerati (cf. Thuc. 1, 37—43). Vel acciderat fortasse, ut agentibus Corinthiis de Corcyraeorum rebus cum Atheniensibus vox „παιδολέτειρα" revera dicta esset, ut facile spectatores, quid poeta spectaret, intelligerent.

Accedunt aliquot loci, ubi mores Athenienses poetam respicere apparet. Ita si chorum dicentem facit „βέβακι — ἀνέπτα" (vss. 439 et 40), si Medeae tribuit illa „χρὴ δ' οὔποθ' — φανεῖ" (vss. 294—301) et illa de sophistis dicta „ἦ πολλὰ — σοφός" (vss. 579—83, cum quibus conferenda sunt verba chori, vss. 576—78, nuncii, vss. 1225—27). Denique monendum est omnino Jasonem sophistica quadam ratione dicendi usum a poeta describi.

Hartungus ut illud statueret, voluisse poetam Graecorum humanitatem et barbarorum feritatem quasi comparare et ex adverso ponere, fortasse adductus est ver-

sibus 536—41 et 1339—43. Sed minime poeta hoc voluit. Nam si Jasonem se defendentem facit verbis „πρῶτον μὲν — δόξαν ἔσχες (vss. 536—41), qui ipse Graecus in Graecia uxorem barbaram turpissime prodiderit, ostendit summam Jasonis impudentiam ac Graecum eum, qui, quanquam exstent in Graecia optimae leges, tamen facundia confisus audeat peccare (cf. vss. 580 sqq.). Contra Medea mulier barbara est ea, cui ab Jasone injuriae illatae sunt, ut fortasse illud subierit poetam, videri satius barbarum esse legibus non usum quam Graecum legibus usum, qui „γλώσσῃ αὐχῶν τἄδικ' εὖ περιστελεῖν τολμᾷ πανουργεῖν“ (vs. 582). — Altero loco (vss. 1339—43) Jason, postquam Medeam exsecratus est, de se ipso hanc profert sententiam: stultissime agebam, cum te (Medeam) mulierem barbaram mulieribus Graecis praelatam in matrimonium ducerem; nam mulier Graeca tam atrox facinus (quam tu, quae liberos interfecisti) non commisisset. Neque vero his verbis poeta ostendit Graecorum praestantiam, qua barbaros antecedant. Nam qualis est ea praestantia, qua uso mihi tantum tribuitur, ut a summo scelere abstineam? Apparet igitur praestantiores Graecos effingere barbaris poetam in Medea fabula noluisse.

2. De Philocteta.

Quae spectaverit poeta in fingendis fabulae personis, si quaerimus, etiam Hartungus vidit Medeae et Philoctetae personas a poeta quodammodo ex adverso positas esse. Sed errat, cum putet poetam ostendere voluisse Medeam barbaram, quae, quanquam in Graecia terra illa exculta atque expolita viveret, tamen feritatem non exuisset atque cupiditatibus pareret: contra Philoctetam Graecum, qui auxilio destitutus, dolorum cruciatibus vexatus, ad feras solitudinis detrusus humanitatem non exuisset atque sibi cupiditatibusque imperare didicisset. Non recte judicasse Hartungum ex eo apparet, quod minime Medeam barbaram poeta induxit, de qua re supra exposui. Hae vero rationes inter utramque

personam intercedunt. Medea ea est mulier, quae rebus adversis afflicta eos atrocissime ulcisdatur, a quibus calamitas illata sit: contra Philoctetes, cujus est non minus tristis vitae condicio et fortuna, non solum iram non explet, sed etiam summi in inimicos beneficii auctor exsistit. Ut igitur Medeam ulciscentem adversarios timore et spe spectator prosequebatur (qui fore ut illa summo scelere abstineret speraret), deinde a muliere suosmet liberos interficiente abhorrebat, ita Philoctetam Trojanos aspernantem diligebat sibique propositum videbat exemplum, quod imitaretur. — Similes finxit poeta Jasonis et Ulixis personas. Uterque enim ingratum se praebet: Jason uxorem, cui debet salutem, prodit; Ulixes auctor fuerat, ut Philoctetes de Graecis optime meritus, cum Chrysae aram eis ostendisset, in Lemno relinqueretur. Utrique objici potest impudentia: Jasoni, cum adire ad uxorem ausus ab ea postulet, ut sibi obsequatur; Ulixi, cum impudentissime mendaciis factis petat a Philocteta, ut sibi Graecisque morigeretur. Uterque, dum sceleste agit, facundiae confidit. Utraque persona poeta contemnendos esse sophistarum mores demonstrasse videtur.

Ita cum haberent eas personas, quae primas partes agerent, diversissimas, has tragoedias videmus a poeta quodammodo ex adverso positas esse. Qua ficta diversitate poeta cum diversa ratione spectatores movit tum vero exempla diversa proposuit. — Praeterea inter se dissimiles poeta fabulas composuit, cum priorem tragoediam fingeret *ἁπλῆν* et *ἠθικήν*, hanc (in qua inest *ἀναγνωρισμός* et *πάθος*) *πεπλεγμένην* et *ἠθικήν* et *παθητικήν* [1]). Etiam ea re eas differre moneo, quod conspiciebatur in priore tragoedia a spectatoribus domus Medeae, quam Corinthi habebat, in altera fabula antrum Philoctetae in litore Lemni situm.

Universam fabulam ex adverso positam esse priori etiam Schoellius suspicatus est: Medeam prodidisse patriam

---

1) cf. Aristot. poet. c. 10 et 18.

atque ob hanc rem poenas solvere, contra Philoctetam proditum esse a patria, quae, cum et reducere Philoctetam cogeretur et Trojani Philoctetam sibi conciliare conarentur, deorum poenis afficeretur. Quae sententia quin verbis enunciata sit in Philoctetae argumento, non dubito: attamen non plus voluisse quam in Medea tragoedia illam, quae attineret ad priorem Medeae culpam deorumque iras manifestum videtur. — Schoellius recte ille quidem statuit prodeunte in scenam Trojano in diverbiis exposita esse ea, quae patriae deberentur, et ea, quae quaeque gens cuique ejusdem gentis deberet. Neque vero poetam Philocteta fabula illustraturum fuisse potissimum gentilicia jura et officia inde colligi potest; nimisque argute judicat Schoellius haec dicens: „für dieselbe Idee des Stamm- und Fremdenrechts waren die Nebenmotive eingerichtet. Der Chor der Lemnier, der bei seinem Auftritt sich entschuldigt gegen Philoktet, ihn nicht besucht zu haben, und jener Hector, der als der einzige Freund des Einsamlebenden vorkam, erinnerte damit an den Anspruch der Theilnahme, den auch der Fremde hat, der Dürftige aber selten geniesst. Philoktet selbst, als ihn Odysseus als ein geächteter Achäer um seinen Beistand angeht, zeigt bei kümmerlicher Lage gastfreien Willen. Odysseus dient aus Ehrsucht den öffentlichen Interessen, wie er selbst im Eingang ausspricht". Nam cum ejusmodi cogitationes argumento subjectas non cognoscamus nisi acumine quodam in argumentum inquirentes, num tantum eas valere, quantum judicat Schoellius, credamus?

Restat, ut etiam hoc loco pauca disseram de G. Hermanni sententia, qui altera trilogiae fabula poetam maxime auribus voluisse prospicere et movere contendit. Contra eum Schoellius de Philocteta haec dicit (p. 37): „die Gesänge können weder der Ausdehnung noch der Wirkung nach vorgeherrscht haben". Quod cum neque effici possit e Dionis verbis (or. 52 *καὶ τά μέλη — ὥσπερ τὰ τοῦ Εὐριπίδου*) neque ex fragmentis, eodem fere jure,

quo Schoellius, contenderit aliquis chori carmina fuisse longissima et musicam praevaluisse. Quod dicit ille „die Beschreibung von Philoctets Lage war grösseren Theils, wie es scheint, Gegenstand des Gesprächs mit Odysseus nicht nur, sondern auch mit dem Lemnier Actor, den Euripides als einen Besucher des verlassenen Helden einführte", monendum est de Actoris persona nos nihil fere scire, ut nihil Schoellius comprobet verbis suis. Quae cum ita sint, de hac re certum facere judicium omnino non licet. — Poetam maxime movere voluisse spectatores Philocteta tragoedia Schoellius Hermanno concedit. Ac certe quidem, ubi Philoctetes ignarus impendentis mali Ulixi quod pateretur narrabat, ubi morbo tentabatur, ubi arcus rapiebatur, spectator movebatur Philoctetae misericordia. Deinde cum Philoctetae summam ad desperationem adducto, qui illum, qui arcum rapuisset, esse Ulixem et se benigne a Graecis acceptum iri nesciret, Trojanus dona imperiumque offerret, spectator exspectatione angebatur, utrum Philoctetes sequeretur Trojanum necne. Philocteta Trojanorum dona repudiante vitamque in Lemno praeferente spectator eo magis diligebat atque admirabatur Philoctetam, qui, quanquam a patria crudeliter proditus esset, tamen patriae amantem se exhiberet, et sperabat fore ut libens et non coactus Philoctetes Graecis auxilio esset. Quam spem projiciebat, cum agnito Ulixe Philoctetam iratum videret, ut cum timore exspectaret exitum, exitu acquiesceret. Quid igitur? num magis movere hac tragoedia quam priore poeta voluit? Minime. Nam in utraque fabula multa insunt, quae graviter moveant animos. In prima fabulae parte aucta miseria iraque Medeae respondet auctae miseriae et irae Philoctetae; deinde ut prodit Aegeus, cujus promisso efficitur, ut Medea tuta ab omni periculo iram explere possit, ita prodeunte Trojano Philoctetae occasio ulciscendi Graecos datur. In altera parte fabulae Medea occasione ulciscendi arrepta primo scelere facto in alterum scelus idque

majus provehitur, Philoctetes omissa occasione ulciscendi eo adducitur, ut injuria affectus beneficia in auctores injuriae conferat. Intelligimus igitur poetam non magis movere voluisse Philocteta tragoedia quam Medea, sed potius, id quod supra demonstravimus, diversa ratione movere.

3. De Dictye.

In vetere illa Apollodori narratione (vide supra) aliquot personas invenimus, quae in tragoediam Dictyn inductae ex adverso poni possint vel Medeae vel Philoctetae personis. Cum autem, qualia in duabus prioribus illis fabulis componendis Euripides spectaverit, cognoverimus, quidnam magis verisimile est quam tales personas poetam in tragoediam introduxisse? Itaque non dubito, quin Dictyis Jasonisque personas ex adverso ponere voluerit. Nam Jason, cum omnia sui commodi causa faciat (cf. Med., vss. 85—88), mulierem, a qua maxima beneficia acceperat, eamque uxorem prodit. Quamobrem gravissima poena affligitur. Contra Dictys, cum non solum prospicere, quantum possit, miseris, sed etiam omnia posthabere amicorum commodis suum esse putet, Danaen et Perseum omni auxilio adjuvat, ubi in arca lignea conclusos adque litus Seriphi insulae appulsos invenit. Deinde artissimo amicitiae vinculo Perseo Danaaeque conjunctus non solum in amicitia permanet, sed etiam in tuendo et defendendo eam, quam diligat caramque habeat, ipse pericula subit, ut postremo aeque ac Danae vim Polydectae fugere coactus sit. Qui summum honorem habet praemium virtutis. Ex adverso posuit poeta Medeae Danaesque personas. Medea, quae insano amore Jasonis correpta scelus e scelere committit, postremo liberis interfectis se ipsam summo infortunio multat. Contra Danae, quanquam antea fortasse non minus amaverat Polydectam quam amabatur ipsa, tamen, postquam Perseum filium a rege eo missum esse ubi mortem obiret cognovit, amore filii ducta amorem regis

repudiat. Resistit autem vel vim minitanti Polydectae. Summo vero praemio mater afficitur, cum filium, quem crediderat mortuum, integrum redeuntem et gloriam adeptum et injuriae vindicem teneat.

At quae servata sunt Dictyis fragmenta, quid ex eis colligi potest? Illa ita comparata sunt, ut adhuc de eis hominum doctorum sententiae valde inter se discrepent. Si vero quid recte antea disputavi, tunc fieri fortasse possit, ut paulo rectius vel certius, quam adhuc factum est, de nonnullis fragmentis judicemus. Erravit sine dubio Welckerus [1]), cum Dictyis personam fere nullius momenti in tragoedia fuisse putaret. Erravit Schoellius [2]), cum punito Polydecta poetam Acrisium induxisse statueret (secutus Hyg. fab. 63); nam certe de Polydecta supplicio illo sumpto aptissime tragoedia exitum habebat. Hartungus [3]) et in universum rectissime de Dictyis persona judicavit et in argumento restituendo maxime Apollodorum secutus est. Atque quae de singulis fragmentis cum verisimilitudine quadam suspicari licet, mihi videntur haec fere esse. Poterat — si quidem sumimus Euripidem non finxisse Dictyn fratrem Polydectae — conari Polydectes donis et pecunia Dictyn ad se perducere, Dictys hoc refutare verbis his:

fr. 346 [4]) *μή μοί ποτ' εἴη* etc.

Altercatione Polydectae cum Dictye orta ille haec poterat dicere:

fr. 343 [5]) *μὴ νεῖκος* etc.
fr. 344 [6]) *φεῦ, φεῦ* etc.

---

1) Gr. Tragg p. 668 sqq.

2) Beiträge p. 149 sqq. Gründl. Unterr. p. 65 sqq.

3) Eurip. restit. p. 365 sqq.

4) Dictyi tribuit etiam Schoellius; Polydectae Perseum incognitum repellenti tribuit Welckerus; Perseo litiganti cum Polydecta tribuit Hartungus.

5) Danaae, quae ad Dictyn verba faciat, tribuunt Schoellius Welckerus, choro Hartungus.

6) Acrisio tribuit Schoellius, Polydectae verba facienti ad incogni-

Dictys: fr. 345 [1]) εἰς δ' εὐγένειαν etc.

Poterat dissuadere Dictys, ne Polydectes Danaen in matrimonium duceret his verbis:

fr. 339 [2]) ὄντων δὲ παίδων etc.

deinde sic respondere Polydectes:

fr. 340 [3]) πατέρα τε παισὶν ἡδέως συνεκφέρειν ὄφελος [4]) etc.

Poterat Polydectes interrogare Dictyn, cur Danaes commodum suo anteferret, deinde Dictys se Perseo amico pollicitum esse respondere, Danaen se protecturum, et sic pergere:

fr. 342 [5]) φίλος γὰρ ἦν μοι, καί μ' ἔρως εἷλέν [6]) ποτε etc.

Dictyn consolatum esse Danaen, quae filium mortuum esse crederet, verbis fragmenti 336 usum tradit Plut. Mor. p. 106 a, item fragmentum 338 [7]) Dictyi esse tribuendum videtur.

Verba Polydectae, quibus persuadere Danaae studeret, videntur fuisse:

fr. 341 [8]) *Κύπρις γὰρ* etc.

Verba „πολλοῖς παρέστην" etc. (fr. 347) [9]) et „εἰ δ'

---

tum Perseum tribuit Welckerus, Polydectae verba facienti ad Perseum tribuit Hartungus.

1) Danaae verba facienti ad Polydectam tribuit Schoellius; Perseo, qui Polydectae incognitus ad Polydectam verba faciat, tribuit Welckerus, Perseo tribuit Hartungus.

2) Danaae tribuunt Schoellius Welckerus Hartungus.

3) Polydectae, qui persuadere studeat Danaae, tribuunt Schoellius Welckerus Hartungus.

4) Sic scripsi secutus Weckleinum (Jahrb. f. Philolog. Supplementband 7, 1874).

5) Sic judico legeudum esse.

6) Danaae tribuunt Schoellius Welckerus Hartungus, quae de Perseo illa verba dicat. Sed minus probabile mihi videtur esse matris illa de amore erga filium dicta „ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς".

7) Dictyi tribuunt Schoellius et Hartungus, Persei paedagogo tribuit Welckerus.

8) Polydectae tribuunt Schoellius Welckerus Hartungus.

9) Id quod statuunt Welckerus et Hartungus, Dictyi tribuit Schoellius.

ἦσθα μὴ κάκιστος" etc. (fr. 349)[1]) poterant esse Polydectae litigantis cum Perseo, Persei illa „τυραννικόν τοι" etc. (fr. 348)[2]).

Ad prologum pertinuisse videntur frgg. 333, 334, 335.

Haec de Dictyis fragmentis exponenda mihi esse existimavi, ut sententiam meam comprobarem. De Hermanni sententia, qui tertia trilogiae fabula poetam voluisse maxime oculis prospicere putat, dicendum est in Dictye tragoedia rem dijudicari non posse. Fortasse illius sententia eo confirmatur, quod exitu tragoediae statuas Polydectae ejusque amicorum conspectas esse satis verisimile est.

Itaque si paucis comprehendimus ea, quae indagavimus, haec fere dicenda sunt. Poeta, cum Medeam Philoctetam Dictyn ol. 87, 1 una daret, docere haec voluit: Qui cupiditatibus obedientes neque quidquam nisi commoda sua respicientes felicitatis participes fieri student, rebus adversis affliguntur; contra qui ratione atque officio in omni vita tenentur aliorumque commodis sua posthabent, summam felicitatem nanciscuntur. Varietate quadam delectare studuit, cum diversis fictis personis diversa ratione spectatores moveret, cum non pari modo in singulis fabulis animis et auribus et oculis prospiceret, cum primam fabulam ἁπλῆν et ἠθικήν, alteram πεπλεγμένην et ἠθικήν et παθητικήν, tertiam πεπλεγμένην et ἠθικήν componeret.

---

1) Id quod statuit Hartungus. [Polydectae, qui verba faciat ad incognitum Perseum, tribuit Welckerus. Verba „ὡς ἔν γ' ἐμοί — ἥδεται" Perseo, verba „εἰ δ' ἦσθα — πόλιν" Acrisio tribuit Schoellius.

2) Id quod statuunt Welckerus et Hartungus.